

que se debeat perpetuò conservare in suo esse, adeò ut non sit opus novâ aliquâ vi ad eam in suo esse sustentandam.

3. Resp. Si creatio & conservatio idem sunt, ut præcedente Exerc. est ostensum, tollitur hæc difficultas, cùm eo ipso demonstratur, non minorem esse servandi, quàm creandi facultatem. Non minor est virtus, quam quærere, parta tueri, inquit Poëta, quod in hac quoque re verum est.

4. Deinde cogitandum est, omne quod est præter Deum, esse naturâ suâ ens dependens, ens ab alio; nam si quid esset quod à Deo, hoc est summè perfecto Ente non penderet, ipsum non esset Ens summè perfectum.

5. Quod autem semel essentialiter dependet ab alio, id semper debet ab eo sic dependere, quoniam essentialia non mutantur, ac tanta requiritur vis in Independente, ut res aliæ ab eo pendeant primo momento, quàm ut secundo vel tertio, &c. Vel in ipsis rebus corporeis exempla contemplari licet, tanta enim v. g. in lacunari requiritur firmitas, ut grave quoddam corpus ex eo pendeat primo momento,